

vel propter illum finem. Neque ex tali non observatione legis quæ jam evidenter et publice cessavit possunt sequi moralia incommoda, sicut non timentur ex eo quod lex evidenter et publice injusta non servetur, et majora ex contraria obligatione sequerentur.

18. *Lex quoad unam partem potest reddi inutilis, non quoad aliam.* — Quando lex dicitur suspendi, non extingui. — Denique, juxta hæc quæ diximus de totali cessatione legis, judicari poterit de cessatione alicujus partis legis non respectu personæ vel casus particularis, sed respectu totius communitatis. Potest enim lex plura præcipere vel varia membra continere, et quoad unum fieri inutilis, et non quoad alia. Et tunc idem judicium est de illa parte ejus ratio cessavit, quando est ab alia separabilis, quod de tota aliqua lege: nam est eadem ratio. Imo illa lex quæ videtur una, in re est multiplex, et ita cessat una, licet non cessent aliæ. Si vero lex ita contineret multa ut essent inseparabilia, et ita esset quasi indivisibilis obligatio, quia bonum ex integra causa et malum ex quocumque defectu, attente considerandum est an propter defectum in una parte tota lex reddatur injusta vel inutilis, vel magis nociva quam proficua, et tunc cessabit tota lex: si vero non obstante illo defectu lex justa permaneat, et magis utilis quam nociva, non cessabit ipso facto, donec revocetur. Illud etiam est considerandum, ut lex simpliciter cesset, necessarium esse ut ejus ratio perpetuo cesset generaliter; nam si ad tempus tantum sic cessare videatur, tunc potius suspenditur obligatio legis quam ipsa extinguatur; quia non fit simpliciter inutilis vel injusta, sed tantum pro hoc tempore, et ideo limitata causa limitatum parit effectum; ergo suspenditur lex, non extinguitur.

## CAPUT X.

DARINE POSSIT DISPENSATIO IN LEGE HUMANA, ET QUID ILLA SIT.

1. *Dispensatio, abrogatio.* — Postquam de cessatione legis dictum est, sequitur dicendum de mutatione ejus seu ablatione per actionem extrinseci agentis habentis potestatem ad tollendam; quæ duplex etiam esse potest, scilicet, partialis, quam nunc comprehendimus nomine dispensationis, et latius dici potest derogatio legis; et totalis, quæ dicitur legis abrogatio. De hac posteriori dicemus postea, hic vero de priori tractamus, et non de omni, quia non

omnis derogatio legis est propria dispensatio, ut explicabimus, sed de illa tantum quæ propriam dispensationis rationem habeat, sub qua nunc commutationem comprehendimus; nam ad dispensationem reducitur, ut capite sequenti declarabo. Unde supponere oportet dispensationem de qua tractamus diversam omnino esse ab interpretatione quæ per epikiam fit, sive in casu evidente aut probabili, sive in casu dubio, in quo auctoritas superioris postulatur. Licet enim hæc nomina soleant confundi, distingui nihilominus debent, ut in discursu latius et commodius explicabo. Epikia enim non est actus jurisdictionis, sed doctrinæ et prudentiæ, ut supra visum est: dispensatio autem de qua tractamus est actus jurisdictionis, ut videbimus. Interpretatio autem in casu omnino dubio, licet præter prudentiam jurisdictionem requirat, non supponit obligationem legis certam, sed potius in dubio declarat illam cessasse, non autem in rigore aufert illam. Dispensatio autem de qua tractamus supponit obligationem legis etiam certam, et fertur ad tollendam obligationem, etiamsi præexistat. Unde fit ut in lege divina habeat locum interpretatio hominis, etiam in casu dubio, non vero dispensatio, ut infra lib. 7 dicam; at vero in lege humana non interpretatio tantum in casu dubio, sed etiam propriissima dispensatio in casibus in quibus de præexistente legis obligatione nulla poterat esse dubitatio, concedi per hominem potest.

2. *Superior dispensare potest cum certa persona, lege obligante quoad alias.* — Et quidem quod ad rem spectat, nullus dubitare potest quin obligatio legis humanæ certo præexistens et ligans talem personam possit per superiorem ex causa auferri, manente obligatione legis in reliqua communitate. Ita communiter doctores, et primum allegari possunt omnes qui de voto hoc asserunt, quos retuli lib. 6 de Voto, c. 9. Deinde de lege idem tradunt Durand. in 1, d. 47, q. 4, n. 6; Richard., in 4, d. 17, a. 2, q. 7; Scot., in 3, d. 37; et ibi Gabr., not. 3; Soto, lib. 1 de Justit., q. 7, art. 3; Ledesm., in 4, 2 d., q. 5, art. 6, et q. 17, art. 3; optime Turrecremat., in c. *Sicut quedam*, d. 14, et in § *Nisi rigor*, post cap. *Requiritis*, 1. q. 7; Rebuf. in Pract., p. 2, tit. de Dispensat., n. 1 et 2, ubi alios canonistas refert; Covar. in 4, 2 p., cap. 6, § 9, n. 42, ubi alios etiam refert, et idem supponit Navar. in Sum., prælud. 9, n. 17. Et res est manifestissima tam in jure quam in usu. Hac enim ratione Augustinus, Epist. 50, dispensationem vocavit *vulnus*

contra integritatem severitatis, et habetur in cap. *Ipsa pietas*, § *Si inquirat*, 23, q. 4; et Gelas. Papa, in cap. *Necessaria rerum dispensatione*, 1, q. 7, vocat illam relaxationem, moderationem ac temperamentum canonum patrum, quæ fieri potest diligenti consideratione adhibita; sic etiam dixit Cyrillus in epist. ad Gennadi.: *Dispensationes nunquam cogunt parum a debito exire*; et infra: *Dispensationum modus nulli sapientum displicuit*, cap. *Dispensationes*, 1, q. 7, prout in decreto gregoriani habetur; et similia sumuntur ex cap. *Tanta*, et cap. *Si qui*, eademque et aperte ex cap. *De multa*, de Præbend., ubi post rigorosam prohibitionem de pluritate beneficiorum subditur: *Circa sublimes tamen, et litteratas personas, quæ majoribus sunt beneficiis honorandæ, cum ratio postulaverit, poterit per sedem apostolicam dispensari.*

3. Unde etiam aperte hoc confirmat usus; nam certe cum Papa dat licentiam alicui habendi plura beneficia, non declarat in illo cessasse legem ex præexistente causa, idemque in lege jejunii, in modo observandi censuras, et in aliis privilegiis evidenter quotidie fit. Unde incredibile est D. Thomam, 1. 2, q. 97, art. 4, intellexisse in legum relaxatione solum habere locum interpretationem in casu dubio, non vero rigorosam dispensationem per ablationem obligationis certo præexistentis, ut aliqui illi imponunt; et in eadem sententiam allegatur Cajetan. ibid., et Anton., 1 p., tit. 17, § 20; incredibile (inquam) est in re tam clara tales theologos, et præsertim D. Thomam hallucinasse. Unde D. Thomas, quodlib. 19, art. 15, expresse dicit: *Dispensatio humana non aufert ligamen legis naturalis, sed positivæ.* Auferre autem ligamen non est interpretari. Item hoc modo etiam potest interpretatio humana authentica auferre ligamen juris naturalis in casu dubio; et in dicta q. 96, art. 6, ad 3, negat cadere in jus divinum dispensationem, cum tamen id non posset de interpretatione negare. Idem latius quodlib. 4, art. 13. Denique in 4, dist. 38, quæst. 1, a. 4, expresse distinguit dispensationem per modum relaxationis juris vel per modum declarationis, et primam etiam admittit in voto, et in dicto cap. 9 ostendi nunquam D. Thomam mutasse illam sententiam, et modum loquendi ejus in illa materia declaravi. Idem ergo a fortiori sentit de lege, et ita etiam in dicto art. 6 exponendus est, ut magis statim exponam. Et Antonin. clare idem sentit. Nec Cajetanus aliud docuit quam D. Thomas. Adde fa-

teri Cajetanum dispensationem in lege humana sine causa datam esse validam; at illa non potest fieri per declarationem, ut est per se evidens; ergo. Unde omnes qui idem tenent, quos infra referemus, hoc idem necessario sentiunt.

4. Quod ergo ad rem spectat, certum est propriam dispensationem legis cadere in legem obligantem et tollere obligationem ejus in particulari casu vel persona; et ratio est clara, quia sicut lex humana a voluntate humana orta est, ita per eandem tolli potest, et quia ad humanam gubernationem erat hæc potestas necessaria in hominibus, ut infra latius dicitur. Quod vero spectat ad nomen dispensationis, negari non potest quin late soleat etiam interpretationem significare: nam communis usus sapientum id observat, ut constat ex D. Thoma et Bonaventura 4, d. 38; Scot., Gabr., Duran., Anton. et aliis, et ex Specula., tit. de Dispensatio., § 1, et fere ex communi usu canonistarum. Hoc autem nihil obstat propositæ veritati quam de re ipsa explicuimus.

5. Ut autem hæc resolutio et tota materia exactius declaretur, ratio propria dispensationis accuratius declaranda est. Et imprimis supponimus dispensationis vocem ex primaria impositione distributionem seu administrationem significare; nam dispensator in latina proprietate administratorem domus vel familiæ significat, cujus est dispensatio; quæ significatio non solum in jure civili, l. *Dispensatori*, ff. de Solut., et l. *Urbana*, 166, de Verborum significatione; sed etiam in Testamento veteri est valde usitata, Genes., 43, 44, et 3 Reg. 18. In novo autem Testamento translata est hæc vox ad significandum specialem et ecclesiasticum administratorem, ut Lucæ cap. 12: *Quis putas est fidelis dispensator et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam*; hoc est ergo munus dispensatoris; actus vero declaratur dum subditur: *Ut det illis in tempore tritici mensuram*: distributio ergo munerum, actionum et bonorum Domini inter eos qui sunt de familia, generaliter dici potest dispensatio. Et sic Apostoli et eorum successores dicuntur dispensatores mysteriorum Dei, 1 Corinth. 4, et 1 Pet. 4; et actus respondens illi muneri dicitur dispensatio, 1 Corinth. 9: *Dispensatio mihi credita est*, in qua significatione etiam Evangelii prædicatio dispensatio dicitur, ut ex eodem loco constat, et ex Michaele Papa, in cap. *Dispensatio*, dist. 43; et sacramentorum minis-

tratio, et tota Ecclesiæ gubernatio dici potest dispensatio multiformis gratiæ Dei. Unde Petrus, postquam dixit: *Sicut boni dispensatores*, subdit: *Si quis loquitur quasi sermones Dei, si quis ministrat tanquam ex virtute, quam administrat Deus*. Sic etiam indulgentiarum distributio dicitur dispensatio thesauri in Extravagante *Unigenitus*, de Pœnitentia et remissione.

6. *Dispensatio est actus jurisdictionis*.—Ex hac ergo generalitate applicata est vox *dispensatio* ad significandum actum quo quis ab obligatione legis eximitur, et quia unus modus esse potest per interpretationem, ideo potuit etiam in ea significatione usurpari. Tamen in hac etiam significatione sumpta non quamcumque interpretationem legis, sed illam solum quæ in casu dubio et per potestatem superioris datur ad liberandum subditum ab obligatione legis, significat; quia hæc tantum est actus administrationis et potestatis a Deo commissæ. Et illa tantum tollit aliquo modo onus legis, quod sine tali potestate auferri non posset. Unde merito dixit Rom., cons. 325, n. 12, dispensationem esse actum jurisdictionis, ubi in scholio hoc late confirmatur. Denique multo magis certum est nomen dispensationis in jure tractum esse ad significandam ablationem vinculi legis in aliquo particulari casu. Quin potius in materia legum et juris illa vox simpliciter dicta quasi per antonomasiam significat hujusmodi relationem. Et ita nos nunc illa utimur, nec timemus Latinorum reprehensionem, qui hanc vocem barbaram esse dicunt: nam unaquæque ars habet facultatem instituendi propria vocabula quæ suo usui deserviant. Advertit autem Decius in c. *At si clerici*, § *De adulteriis*, de Judic., n. 3, hanc vocis usurpationem jure canonico introductam esse; nam in jure civili non invenitur, præterquam in libro de Pace constant., in princ., ubi pro gratia aut remissione pœnæ sumitur, quæ solet in jure civili indulgentia appellari, ut notavit Bald. in dicto c. *At si clerici*. Verumtamen, quia nomen indulgentiæ secundum ecclesiasticum usum jam habet aliam accommodationem, ut suo loco explicuimus, et liberatio a lege, quæ per interpretationem puram fit, alia nomina habet æquitatis, epiikæ vel interpretationis, ideo merito nomen dispensationis in dicta significatione nunc usurpatur.

7. *Dispensationis definitio*.—Atque hinc facile est definire dispensationem, de qua tractamus. Ex definitionibus autem quæ circumferri solent hæc videtur sufficiens: Dispensatio

est *legis humanæ relaxatio*. Nam, licet dispensatio latius pateat, tamen, ut de illa nunc tractamus, ad illam definitionem coarctanda est et per illam sufficienter explicatur. Quædam vero Glossa addit, esse relaxationem juris communis factam cum causæ cognitione ab eo qui jus habet dispensandi, in § *Cum causæ cognitione*, esse de necessitate dispensationis, et potest sumi ex Panorm. in c. 2 de Schismati., cap. 4, et sentit Navar. in Sum., prælud. 9, n. 15, et alii quos late refert Sanci., lib. 8 de Matrim., disp. 1, n. 2. Sed absque dubio illa particula non est ponenda in definitione; nam datur vera dispensatio sine causæ cognitione, ut postea dicemus, et tandem fatetur Panorm. supra, et ideo particulam illam abstulerunt Bart., cons. 48, volum. 2; Deci. in dicto § *De adulteriis*; et Oldrad., cons. 327; et Freder. Sen., cons. 30, qui omnes absolute sic definiunt: *Dispensatio est juris communis relaxatio*. Atque ita omittunt etiam causam efficientem, nec immerito, tum quia est intrinseca, tum etiam quia in relaxatione ipsa continetur: si enim non fit a potestate habente, non erit relaxatio; tum denique quia quædam nugatio committitur, cum dispensatio definitur per potestatem dispensandi, et melius diceretur ab habente potestatem supra ipsum jus.

8. Præterea melius dici videtur *juris humani* quam *juris communis*, quia dispensatio de qua tractamus etiam potest cadere in statuta et quascumque alias leges, licet in jure communi non contineantur. Responderi autem potest ex Rebuff., tit. de Dispens., n. 20, dispensationem dari in jure communi, in statutis vero et regulis dari indultum: per illud enim non dicitur jus solvi, imo sæpe redditur ad commune jus. Sed non video rationem horum verborum; nam relaxatio statuti revera est dispensatio, et relaxatio juris communis dici potest indultum: nam hoc nomen genericum est, ut infra de privilegiis dicemus. Et sæpe statutum non est contra jus commune: unde per relaxationem ejus non redditur ad jus commune; item statutum simpliciter est jus pro tali communitate: ergo relaxatio est propria dispensatio. Imo, licet statutum sit contra jus commune, ejus relaxatio erit dispensatio respectu eorum qui ligantur statuto, licet sit dispensatio magis favorabilis quam aliæ quæ omni modo juri repugnant. Denique, quamvis dari possit dispensatio in votis, in juramentis et in matrimonio rato, quæ videntur attingere jus divinum, nihilominus illas dispensationes nunc excludimus, et omnes quæ

in jus divinum vel naturale, sive a Deo, sive ab homine dari aut cogitari possunt, quia (ut dixi) de illis nunc non tractamus. In proposita ergo definitione relaxatio ponitur loco generis, quia dispensatio revera est solutio quædam, et remissio; quia vero aliæ sunt species remissionum, additur per modum differentiæ particula *juris humani*, ad excludendas omnes alias relaxationes, et per eandem excluditur indulgentia ecclesiastica, quæ licet sit relaxatio alicujus vinculi, et reatus, non est relaxatio juris humani, sed est remissio cujusdam reatus, quæ primo ac per se fit apud Deum, quamvis ex illa sequi possit ablatio alicujus præcepti positi ab homine injungentis pœnitentiam, ut ex materia de Indulgentiis constat.

9. *Distinguitur dispensatio ab absoluteione*.—Deinde (quod notandum est) per illam particulam distinguitur dispensatio ab absoluteione a censuris, vel alia simili, quamvis aliqui interdum ita illas confundant et putent dispensationem esse absoluteionem, et in rescriptis apostolicis sub illa comprehendunt, quia absoluteio a censura, verbi gratia, est relaxatio vinculi per legem humanam introducti et impositi. Hæc vero sententia falsa est, quia in indultis pontificiis hæc duo distinguuntur, et concessa potestate absolventi non censetur concessa potestas dispensandi, nec e contrario: ergo illa duo longe differunt. Absoluteio enim non datur contra jus, sed secundum jus, unde in illa nulla fit juris relaxatio: dispensatio autem datur contra jus, ut ex dictis constat. Recte ergo dicimus in definitione illa per posteriorem particulam absoluteionem excludi, quia non est relaxatio juris humani, sed alterius vinculi, quod licet sæpe per jus humanum sit inductum vel impositum, per absoluteionem non tollitur contra jus, sed secundum jus, et ita per absoluteionem non relaxatur jus. Et hoc sensit Gloss. in cap. *Cupientes*, § *Cæterum*, de Elect., in verb. *Suspensos*, dicens de absoluteione a censura: *Vere loquendo ibi pœna non removetur* (utique contra jus), *sed quod jus statuit removetur*, quamvis paulo superius eadem Glossa improprie utatur nomine absoluteionis pro remissione pœnæ ad certum tempus impositæ, ante tempus impletum: nam illa revera potius est dispensatio. Et idem in rescriptis Panorm. in c. *Tam litteris*, de Testibus, n. 3, licet voces non explicuerit.

10. Potestque res ipsa facile declarari, quia absoluteio sive a peccatis, sive a censuris, seu pœnis, non datur nisi supposita dispositione ex parte pœnitentis, et potestate ex parte

absolventis. Tunc autem nulla lex per talem actum relaxatur; nam potius lex præcipit pœnitentem absolvi in eo eventu, ut est manifestum in absoluteione a peccatis. Idem autem cum proportione est in absoluteione a censura, quia censura de se non est pœna perpetua, vel ad definitum tempus, sed donec a contumacia recedatur, quia est pœna medicinalis, et ideo in sua intrinseca ratione includit ut, ablata contumacia, ipsa etiam tollatur, et ita jura disponunt; illa ergo ablatio non est dispensatio in aliqua lege, sed potius legis executio. Ergo absoluteio in hoc recte distinguitur a dispensatione, quod illa est sententia quædam per quam (si clavis non erret) non vulneratur lex, nec minuitur jus, sed potius executioni mandatur: dispensatio vero non est sententia, sed actus quidam jurisdictionis voluntariæ quo vulneratur lex, dum ex parte tollitur, ut optime docuit D. Thomas, in 4, dist. 20, quæst. 1, art. 5, quæst. 4, ad 3: inde colligens aliam differentiam inter absoluteionem et dispensationem, quod idem non potest absolvere seipsum, potest tamen idem secum dispensare, ut infra dicetur; possumus etiam ex dictis aliam differentiam colligere inter dispensationem et absoluteionem, quod illa est stricti juris, ut infra dicetur, hæc vero est juris favorabilis et ampliabilis, quia est secundum jus.

11. *Simplex licentia non potest dici dispensatio*.—Præterea per eandem particulam definitionis excluditur simplex licentia, quæ non potest dici dispensatio, nec contra jus, sed secundum jus. Illam enim voco simplicem facultatem per quam revera non aufertur obligatio legis, sed conceditur operatio ut fiat juxta modum a lege præscriptum. Quod etiam est necessarium advertere, quia in multis legibus potest aliquis facultatem concedere qui non potest dispensare, et valde diversa causa solet requiri ad similem facultatem concedendam, vel ad dispensandum. Exempla esse possunt, verbi gratia, in voto paupertatis: nam Prælati religionis potest dare licentiam ad aliquid donandum, non tamen potest dispensare in paupertate, c. *Cum ad monasterium*, de Statu Monach. Similiter Episcopus potest dare facultatem ad ingrediendum monasterium monialium ex legitima causa, non tamen potest dispensare, quia nihil in eo genere potest concedere nisi juxta tenorem et rigorem legis. Et similiter sunt multæ leges vel statuta quæ non prohibent aliquid simpliciter, sed ne fiant sine tali facultate tali modo concessa; tunc ergo dare facultatem non est dispensare, sed

servare et exequi legem. Et ideo etiam hæc licentia non est tam stricti juris, sicut dispensatio, debet tamen esse intentioni juris accommodata. Imo probabile est per se non esse actum jurisdictionis, sed domini vel superioritatis cujusdam, et potest esse tantum conditio quædam requisita ex voto, vel alio simili modo; longe ergo differt a dispensatione.

12. Adhuc tamen non videtur adæquata illa definitio, primo, quia convenit abrogationi legi humanæ, quia illa est multo major relaxatio humanæ legis. Propter quod dicere aliquis potest melius definiri dispensationem ut sit derogatio humanæ legis: nam per genus illud excluditur, ut non sit abrogatio: nam ut dicitur in l. 102, ff. de Verbor. significat.: *Derogatur legi cum pars detrahitur: abrogatur legi cum prorsus tollitur.* Unde etiam dixit Lactan., l. 6, cap. 8 de Lege naturali: *Neque ex hac derogari aliquid licet, neque prorsus tolli,* ex Cic., l. 3 de Repub.; sed hoc etiam potest impugnari, quia licet omnis dispensatio sit quædam juris derogatio, non tamen e contrario omnis derogatio legis humanæ videtur esse dispensatio: nam si pars aliqua legis pro tota communitate auferatur, est propria derogatio; et tamen non dicitur dispensatio, quia de ratione dispensationis legis esse videtur ut eadem lex, prout per dispensationem relaxatur, circa quosdam tollatur, in se vero maneat. Nomen autem relaxationis optime retineri potest, quia in ipsomet indicatur vinculum quod aufertur non auferri aut prorsus tolli, sed laxari tantum, et ideo abrogatio non dicitur propria relaxatio, ideoque etiam ablatio ejus ex parte, licet si perpetua sit et pro tota communitate, non dicitur proprie dispensatio, sed derogatio; e contrario vero si lex tota relaxetur, etiam pro tota communitate, ad unum tantum actum vel ad certum tempus, illa proprie dicitur dispensatio, quia per illam non tollitur lex, sed suspenditur, et illa etiam est quædam relaxatio.

13. *Privilegium dici potest interdum dispensatio.* — Altera objectio esse potest, quia privilegium etiam est relaxatio juris humani, et tamen non est dispensatio. Propter hoc aliqui varias tradunt differentias inter privilegium et dispensationem, sed melius illa comparatio tractabitur in lib. 8, ubi de privilegiis dicitur. Nunc ergo breviter dici potest privilegium quod fuerit contra jus et illud relaxaverit esse dispensationem; illud autem privilegium quod non fuerit contra jus non esse relaxationem juris, ideoque nec dispensationem

esse, et ita nihil contineri sub definitione, quod dispensatio non sit. Vel etiam dicere possumus dispensationem esse relaxationem juris per modum actus secundi, seu transeuntis: privilegium autem concedere aliquod jus per modum actus primi et permanentis, et ideo non esse proprie ipsam relaxationem, sed esse jus utendi aliqua re vel facultate, supposita relaxatione facta a principe, ideoque non tam esse quam supponere dispensationem. Sed hæc posterior responsio obscurior est, et de illa dicemus loco citato; nunc prior nobis sufficit, quia nullum est inconueniens dispensationem vocare privilegium, et aliquod privilegium dispensationem, nec jura repugnant, nec communis modus loquendi.

14. Tandem objici potest, quia relaxatio non est dispensatio, sed dispensationis effectus; ergo non recte per illam definitur. Sicut lex non dicitur esse obligatio, quamvis hæc sit legis effectus, nec votum etiam dicitur esse obligatio, sed promissio ex qua obligatio nascitur. Sed hæc objectio parvi momenti est, quia sola vocis interpretatione dissolvitur: posita autem est ad explicandum magis actum in quo dispensatio consistit. Ad objectionem ergo respondetur relaxationis nomine intelligi actum illum quo superior relaxat subdito legis obligationem et effectum, unde perinde est dicere dispensationem esse relaxationem ac dicere esse actum quo lex relaxatur. Potest etiam distingui relaxatio in activam et passivam, et responderi activam relaxationem esse ipsam dispensationem, passivam vero esse dispensationis effectum. Et idem revolvitur: nam activa relaxatio nihil est aliud quam actus quo vinculum legis solvitur. Unde obiter intelligitur dispensationem quoad effectum suum tantum privative opponi effectui legis, quia non inducit positivum effectum, sed tollit vinculum. Et ideo statutum speciale vel privatum, derogans universali legi, licet dici possit relaxatio juris, non potest dici dispensatio, quia non est relaxatio pura (ut sic dicam) nec per se primo, sed quasi consequens ad aliam obligationem: definitio autem debet intelligi in pura relaxatione, et per se primo intenta: talis enim est disputatio. At vero dispensatio ipsa positivum quid est, et contrarie opponitur legi; est enim actus legi contrarius, non integre, sed ex parte tollens effectum ejus. Ex quo poterat hic excitari quæstio, quisnam sit hic actus in quo dispensatio consistit, et an sit rationis vel voluntatis actus: sed non oportet in hoc immorari, nam applicari possunt cum proportionem dicta de le-

ge. Et hic multo clarius est dispensationem non esse nisi actum voluntatis principis quo vult liberum esse subditum a jugo legis suæ, aliquo exteriori signo sufficienter manifestatum.

## CAPUT XI.

## DE EFFECTIBUS DISPENSATIONIS HUMANÆ LEGIS.

1. *Effectus dispensationis quis.*—Quia dispensationem perejus effectum descripsimus, ideo illi statim annectimus explicationem effectus dispensationis ante causas ejus, quia hic effectus habet quodammodo rationem objecti, et ita illo cognito proficietur dispensationis cognitio; et, quia materia est facilis, breviter expeditur. De divisionibus autem dispensationis specialiter non tracto, quia inter causas et effectus dispensationis melius explicabuntur. Primo ergo ex definitione constat quasi adæquatam effectum dispensationis esse tollere vinculum legis ex parte; nam hoc modo relaxat legem, non aufert, alias non esset dispensatio legis, sed ablatio. Potest autem hic effectus esse ex parte vel ratione personæ, vel ratione temporis. Et ita potest primo dividi dispensatio in suspensionem legis et exceptionem a lege. Potest enim princeps concedere toti communitati ut pro uno anno præcise legem non servet, quæ sine dubio est propria dispensatio, quia est relaxatio legis et non ablatio; nam transacto tempore statim per se obligat sine alia constitutione vel promulgatione, et ideo recte dicitur suspensio legis, sicut etiam privilegia interdum suspendi solent et non auferri, ut infra videbimus. Frequentius vero princeps concedit uni personæ vel alteri ut non servet legem, et illam voco exemptionem a lege quando sine temporis determinatione, perpetuo, vel ad vitam conceditur; nam si concedatur ad definitum tempus, erit utroque modo partialis ablatio vinculi, et ita est quasi mixta ex suspensione et exemptione. Aliquando vero dispensatio datur ad unum tantum actum, et tunc etiam est per modum suspensionis ab obligatione legis pro brevissimo tempore, nisi actus habeat effectum permanentem ac perpetuum, ut legitimatio ac similes, quæ proprie sunt exemptiones a lege, et inter privilegia numerantur.

2. *Præcipuus effectus dispensationis est vinculum tollere in conscientia.*—Ex quo ulterius sequitur, quot sunt effectus legis, tot posse dispensationi cum proportionem attribui, tum quia

quot modis dicitur unum oppositorum, tot dicitur et reliquum; tum etiam quia dispensatio absolute et indefinite dicitur juris humani relaxatio; ergo quidquid lex humana ligat, potest dispensatio absolvere. Primus autem ac præcipuus effectus legis est obligare in conscientia, sub quo duo concluduntur, qui sunt præcipere et prohibere, ut supra visum est; igitur primus ac præcipuus effectus dispensationis erit obligationem in conscientia tollere, quia, ut diximus, non supponit obligationem ablatam, sed illam aufert. Et ideo recte dixit Geminian., cons. 106, n. 6, et cons. 38, n. 9, dispensationem esse actum qui facit de illicito licitum, quia respectu dispensati tollit legem per quam res est mala, tantum quia prohibita. Sic etiam recte dixit Turrecrem. in c. ult., d. 14, n. 3: omne dispensabile, ait, est illicitum illi cum quo dispensatur, factibile autem licitum per alterius potestatem. Non est tamen necessarium ut omnis dispensatio hoc faciat, ut statim dicam, sed satis est hunc esse præcipuum effectum dispensationis, quemque semper efficit, si dispensatus illo indiget.

3. *Alter effectus dispensationis.*—*Dispensatio, formaliter loquendo, non potest obligare ad actum contrarium illi in quo fit dispensatio.*—Alius effectus legis dicitur esse permittere: sed jam supra diximus propter puram permissionem non esse necessariam legem, sed quatenus ipsa permissio ponitur sub præcepto, ut sic, posse esse effectum legis. Sic ergo videri potest non posse permissionem esse effectum dispensationis: nam per dispensationem in illa lege permittente potius fiet ut permissio tollatur, vel saltem ut præcepta non sit, et consequenter ut licite tolli possit. Aliunde vero omnis dispensatio videtur habere hunc effectum permittendi, quia eo ipso quod aufert obligationem legis, verbi gratia, jejunii, permittit non jejunare, licet non cogat. Et sic de aliis omnibus cum proportionem. Quod vere dictum est; oportet tamen cavere æquivocationem; nam dispensatio plus est quam permissio, et permissio proprie sumpta et secundum communem usum non est dispensatio. Aliquando enim permittere non aliud significat quam voluntarie non impedire; quod non est dispensare. Nam Deus permittit peccatum in quo non dispensat. Aliter vero permittere significat idem quod sinere impune operari malum, ut in republica dicuntur aliqua peccata permitti; et quando id fit ex decreto legis, dicitur permissio esse legis effectus: illa vero non relaxat legem, quandoquidem non excusat culpam,

